

DISSERTATIO THEOLOGICA
EXPLICATIONEM
LOCI DIFFICILIORIS
IOH. X. 33 -- 38.
ET
VINDICIAS DIVINITATIS
CHRISTI
EX EODEM EXHIBENS,

QVAM
PRAESIDE
VIRO SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO
SIGISMUNDO IAC. BAVMGARTEN.
S. S. THEOL. PROF. P. ORDIN.
PRAECEPTORE, FAVTORE AC HOSPITE
AD CINERES COLENDO,
EX MANDATO REGIO
D. XV. AVG. ANNO MDCCCXXXV.
H. L. Q. C.
PLACIDAE ERVDITORVM VENTILATIONI SVBICIET
AVCTOR RESPONSVRVS
IOACHIMVS FRIDERICVS HITZWEDELL,
POSTDAMIENSIS
S. S. THEOLOGIAE CVLTOR.

Coll. diss. A
145, 15

HALAE MAGDEBVRGICAE,
PIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

g.

[Handwritten signature]

145(15)

DISSERTATIO THEOLOGICA

EXPLICATIO

LOCI DIFFICILIORIS

IOH. X. 33 - 38.

ET

VINDICIAS DIVINITATIS

CHRISTI

EX EODEM EXHIBENS

M. D. C. C. C. L. X. V.

PRAGAE



PRO SENE REVERENDISSIMO DOCTISSIMO

SIGISMUNDO JACO BAVMARTEN

S. S. THEOL. PROF. P. ORDIN.

PRAECEPTORE, PASTORE AC HOSPITE

AD COENAE COLLEGIUM

EX MANDATO REGIO

D. K. A. G. A. N. G. O. I. S. I. C. A. N. A.

H. L. G. C.

PRAGAE KATHOLICUM UNIVERSITATIS

AD HOC S. S. THEOL. P. ORDIN.

IOACHIMUS FRIEDRICHUS HILFEDER

POST-DAMENENSIS

S. S. THEOLOGICAE FACULT.

22

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO

WILHELMO,

REGI BORUSSIAE,
MARCHIONI BRANDENBURGI-
CO, S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI,
SUPREMO ARAVISIONENSI, VALANGINI ET NEOCO-
MI PRINCIPI, GELDRIAE, MAGDEBURGI, CLIVIAE,
IULIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CASSUBIO-
RVM, VINIDORVM ET MEGAPOLIS, NEC NON IN SILE-
SIA ET CROSNAE DVCI, BURGGRAVIO NORIMBERGEN-
SI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE, CAMINI, VANDA-
LIAE, SVERINI, RACEBURGI ET MEVRSAE, COMITI HO-
HENZOLLERAE, RVPINI, MARCAE, RAVENSBERGI, HO-
HENSTEINII, TECKLENBURGI, LINGAE, SVERINI, BVRAE
ET LEERDAMI, MARCHIONI VEHRAE ET VLISSINGAE,
DOMINO RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGAR-
DIAE, LAVENBURGI, BVTOVIAE, ARLAYAE
ET BREDAE, CETERA,

REGI ET DOMINO SVO
LONGE CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME ET POTENTISSIME REX,

PATER PATRIAE LONGE CLE-
MENTISSIME,



Magna certe & inexcusabilis foret au-
dacia, *AVGVSTO NOMINI*
TVO leuidenses has consecrare
paginas; nisi multis rationibus,
excusationem saltem habituris, hac
me suspitione liberatum iri crede-
rem. Quarum nonnullas cum aliis multis commu-
nes habeo, plures autem singulares mihi que pro-
prias. Sapientissimo enim mandato, *SERENIS-*
SIME

SIME PRINCEPS, iam præcepisti, vt, qui *Mu-*
sis, in *TUIS* Musarum sedibus, operantur, præ-
fertim autem, qui *TUIS* aluntur beneficiis, quot-
annis diligentia suæ specimen publica dissertatione
edant. Cui voluntati *TVAE* primus omnium e-
laborato specimine obtemperare volui, debui: vt,
qui reliquos alumnos beneficiis, & munificentia Re-
gia documentis in me cumulatis supero, nemini ipso-
rum obsequio inferior essem. Sex enim, & quod ex-
currit, anni effluerunt, ex quo *TU, SERENIS-*
SIME PRINCEPS, Halam me misisti, vt *TUIS*
sumtibus in Schola & Academia litteris initiarer.
Cui munificentia, si a *DEO* discessero, mea littera-
rum studia, quorum *TU, INDVLGENTISSI-*
ME PRINCEPS, vnus auctor fuisti, accepta
refero; quidquid bonarum artium & sanctioris do-
ctrinae imbibi, culturam ingenii & mentis, meque
adeo ipsum, quantus quantus sum, debeo. Cui igi-
tur potius, quam *TIBI* has primitias deuote offer-
rem? Nunquam tamen ex umbra Academica in lu-
cem *TUAM* & Regium Splendorem prodirem, nisi
ab argumenti dignitate commendationem sperarem,
qua & defectus elaborationis suppletum iri confido.
Quod restat, *REGEM* Regum & *DOMINVM* Do-
minantium ardentissimis votis & supplicationibus
veneror, vt, *TE, CLEMENTISSIME PRIN-*
CEPS, pro tot & tantis, quæ ne enumerare quidem
susti-

sustineo, beneficiis perenni felicitate fortunet, flo-
rem terrarum & Academiarum *TVARVM* conti-
nuet & nouis semper accessionibus adaugeat, *TE*-
que inprimis, in *SERENISSIMAE FAMILIAE*
TVAE gaudium, & omnium subditorum felicitata-
tem, diu saluum sospitemque conseruet; ita omnia
fausta eueniant,

R E X A V G V S T E

SACRAE REGIAE MAIESTATI TVAE,

Halæ d. xv. Aug.

MDCCLXXXV.

deuotissimo, humillimo

IOACHIMO FRIDERICO HITZWEDELL,



PROOEMIUM.



Ogitantibus nobis de specimine, ex mandato Patris Patriæ Clementissimi edendo, dogma de vera ac summa Seruatoris nostri optimi diuinitate eligere placuit. Quod, uti præcipuis fidei nostræ capitibus iure suo adnumeratur, ita & multis hodie obiectionibus, iam inde a prima christianæ ecclesiæ fundatione, vsque ad nostra tempora expositum fuit. Haut ignoramus quidem, multos, *quos citatos vid. in B. RAMBACHII Dissert. de Summa Diuinitate Christi ex eius iuramentis per se ipsum demonstrata p. 8.* ex eruditorum numero obiectionum, quas doctrinæ huius aduersarii in
medium

medium protulerunt, futilitatem & demonstrasse & refutasse; tanta tamen est argumenti dignitas, ut operæ pretium facturi esse nobis videamur, si & nos in aliqua huius doctrinæ probatione studium nostrum collocemus. Pertinent vero ad argumentorum pro diuinitate Christi seriem etiam illa, ut bene obseruat Celeb. Auctor modo citatus, quibus Christus in statum confessionis adductus illam ipse professus est. Qua de re plurima apud Iohannem exempla exstat. Ex quibus locum cap. X. 33 - 38. præ ceteris iccirco pertractandum sumimus, tam quod sine dubio omnium fere evidentissimum ipsius Christi pro sua diuinitate testimonium exhibet, quam quod non omni difficultate & ψευδεργονεία caret. Vtrumque ex tractatione ipsa, & eius præsertim parte dogmatico-polemica apparebit. Sociniani in primis, quemadmodum omnia, de summa Christi diuinitate, loca euersum eunt, ita etiam hoc dictum inuertere, atque in suæ sententiæ confirmationem conuertere iam dudum adlaborarunt. Quibus se inter alios cum laude opposuit Celeb. SEB. SCHMIDIVS, Theologus de exegesi & dogmatibus meritissimus, in collegio biblico part. II. loc. 3. p. 49. seq., nec non Cl. FRID. ADOLPH. LAMPIVS in commentar. ad b. l. Quorum a tractatione nostrum differendi modum plane diuersum esse, L. B. in perlegendis his paginis deprehendet. Totum vero argumentum tribus sectionibus commode absolui posse putamus, quarum prima explicationem exegeticam, rhetico-polemiam secunda, tertia denique moralem sistit. Faxit DEVS, ut omnia feliciter!

SECT. I.

SECT. I. EXEGETICA.

§. I.

VT hermeneuticam regulam, quæ cuiusvis loci connexionem probe expendere iubet, haut neglexisse videamur, nexum dicti a nobis iam pertractandi paucis indicabimus, quo sensus verborum, atque argumenti a Christo pro sua diuinitate adlati vis eo facilius perspiciatur. Erat Seruator noster eo tempore Hierosolymis in festo ἐγκαινίων. Quem cum Iudæi in porticu Salomonis ambulantes viderent, cinxerunt, & vt palam sine verborum ambagibus diceret, essetne Messias nec ne, magno impetu, pessimoque, vt euentus probauit, proposito quæsiuerunt. v. 24. his verbis vsi: *quousque nos in dubio relinquis?* i. e. quod nondum certiores sumus de te, id tibi totum tribuimus, vtpote qui adhuc impropriis semper, numquam propriis verbis de te tuoque officio vsus es; fac igitur, & quid nobis de te sentiendum dilucidis verbis indica. Ad hæc Iesus respondens ad verba sua satis clara Iudæos remittit v. 25. nec non ad opera, quibus verborum veritas confirmabatur. Ex ipsis, nisi falsis de Messia præiudiciis tenaces inhæssissent, iam dudum Iesum verum esse Messiam cognoscere potuissent. Etenim opera, a Christo propria virtute edita, ad vnum omnia eiusmodi erant effectus, qui causam potentia ac virtute infinita & diuina pollentem supponebant. Pergit deinde Christus & postulato Iudæorum satisfactorius se Messiam palam, sapienter tamen, profitetur, dum eandem sibi cum patre potentiam, eandemque essentiam vendicat, responsionem suam ita finiens v. 30.: *ego & pater vnum sumus.* De quibus verbis ex

B

Cy-

Cyrillo Doctiss. STARCKIVS ad h. l. ita scribit: *utrumque audi & vnum & sumus, & a Charybdi & Scylla liberaberis. Quod dixit vnum, liberat te ab Ario (addimus a Socino) separante filium a substantia patris. Quod dixit sumus, liberat te a Sabellio, confundente personam patris & filii sine discretionem.*

§. II.

Itaque cum Iesus illorum petito, pro suo in illos amore, responderet, quis non exoptatum sibi spondisset euentum? At vero, tantum aberat, vt confessione eius audita illum pro Messia agnoscerent, vt potius blasphemiae causam interferendo eum lapidibus peterent, v. 31. Et haec est occasio proxima loci nunc paulo accuratius considerandi. Ante tamen, quam hoc fiat, obseruanda erunt nonnulla nexum hunc illustratura. Aduersarios Christi Iohannes Iudaeorum nomine adpellat, quos sensu strictissimo hoc loco sumendos esse existimamus, ita, vt praesertim Pharisei, & imprimis magni apud Iudaeos synedrii assessores hoc titulo indigentur; quippe qui praeter reliquis sibi hoc nomen vindicasse videntur, quoniam in obseruandis patrum traditionibus ceteros suae gentis omnes superabant. Id quod etiam ex collatione Cap. VII. 13. c. IX. 22. cum v. 13. 15. h. cap. & c. XII. 42. patescit, vbi qui prioribus locis Iudaeorum nomine veniunt, in posterioribus Pharisei adpellantur. Accedit, quod Pharisei inter omnes Iudaeos Christum vel maxime semper auersati sunt. Hi igitur, penes quos & clavis cognitionis, & summa rerum Iudaicarum erat, blasphemiae Christum incusabant. Blasphemia vi vocis & deriuationis est existimationis alterius violatio, seu calumnia, obrectatio, maledictum, quo alicuius fama laeditur. conf.

SVICERI *thes. eccles. tom. I. p. 696. seq.* Si strictiori sensu ad DEVM refertur, potest ab homine triplici modo committi. Primum si quid DEO tribuitur, quod ipsi non conuenit e. c. Si DEVM facimus auctorem peccati, cum tamen vi sanctitatis suæ ab omni iniquitate & ἀνομιᾷ sit vel remotissimus. Secundum si quid DEO detrahatur, quod illi competit; exempla legimus 1 Reg. XX. 23. 28. seq. & Ies. XXXVI. 7. 15. seq. coll. c. XXXVII. 6. 23. 24. quæ duæ tamen species ad vnam reduci possunt, si DEO imperfectiones tribuuntur. Tertium denique blasphemandi genus illud est, si, quod soli Enti perfectissimo proprium & peculiare est, alteri extra illud tribuero. Et hoc modo, quem tertio loco posuimus, Christum blasphemiam reum agebant Pharisei, id quod discimus ex v. 33. vbi aduersarii, quod antea expresserant: λιθάζομέν σε περὶ βλασφημίας, ita explicant: καὶ ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὢν ποιῆς σεαυτὸν Θεόν. Circa hæc verba duo præterea monenda videntur, nimirum τὸ καὶ non copulandi sed explicandi vim habere, & optime verti per Romanorum *scilicet*, sicut 1 Petr. I. 3. vbi in prima propositione καὶ itidem particula exegetica est. Porro τὸ ποιῆν σεαυτὸν Θεόν idem est, ac se venditare DEVM conf. HENRIC. STEPH. *thes. tom. III. p. 431.* Restat, vt Iudæorum ratiocinium in formam redactum proponamus, quod eo redibat: *quicumque, homo existens, ea sibi, quæ solius DEI sunt, arrogat, ille blasphemiam reus est; atqui tu homo ea, quæ DEO sunt propria, tibi arrogas, quorsum pertinet, quod te filium DEI sensu strictiori, immo vnum cum patre iactitas; ergo blasphemiam reus es.* Impudentissime sic petunt principium, quum sine examine supponunt, & pro fundamento sententiæ condemna-

toriæ adsumunt, quod examinandum fuisset omnium maxime.

§. III.

Ad falsum hoc argumentum non poterat Christus, quin veritatis amore ductus responderet, quod facit v. 34 - 38. & quidem duplici ratione. Prior responsionis pars est præparatoria magis, remotiua atque apologetica, vbi Christus falsitatem maioris eorum propositionis indicat v. 34 - 36. per allegationem loci ex Ps. LXXXII. 6. posterior vero est directæ, thetica & positiva.

§. IV.

Vtrumque nunc seorsim considerabimus. Ad locum ex Ps. LXXXII. 6. a Christo in defensionem citatum quod attinet, hoc refutandi genus Iesus ex multis aliis elegit, tamquam ad præsentem causam longe commodissimum. Iudæi Iesum lapidaturi duce scriptura sacra agere, eamque normam sequi sibi videbantur, ex cuius præscripto blasphemiam rei illo supplicii genere e medio erant tollendi, secundum Leu. XXIII. 16.; eadem igitur scriptura Iesus vtens illis ostendit, quantum aberrent a genuina legis a DEO latæ interpretatione, dum verborum DEI in Ps. LXXXII. adeo sint immemores, vt scripturam solvant, DEVM in se ipsum iniuriam reddant, ita loquendo, quod ex ipsorum sententia pro blasphemiam esset reputandum. Per interrogationem autem l. c. proponit, & *nonne scriptum est*, ait, *in lege vestra?* pro more apud Iudæos vsitato, quippe qui hanc citandi formulam vsurpabant, quando alterius sententiam sacrae scripturae repugnare demonstrarent, vide sis SVRENHVSII Βιβλον κατὰ λατίνης lib. I. thes. 9.

§. V.

§. V.

Dicit vero Christus scriptum esse *in lege*, quum tamen locus procul dubio ex Psalmis desumptus sit, cuius adpellationis hæc caussa subesse videtur, quia scilicet tota V. & N. T. scriptura normam atque regulam credendi agendique continet, ex qua & doctrina & vita instituenda est. Ita Hebræorum doctores per תורה totam sacram V. T. scripturam intellexisse, Pentateuchum puta, Prophetas & Hagiographa, bene obseruat *auctor modo citatus lib. II. ihes. 4.* Nonne, inquit, ipsimet vos conceditis scriptum esse in sacro codice, quem pro diuina reuelatione habetis, & id iure quidem: *Ego, sc. DEVS in genere, præsertim, ex sententia s. SCHMIDII in colleg. bibl., tertia diuinitatis persona, dixi sc. in deserto, per quod Israelitarum gens ad terram Canaan tendebat, Dii non qua essentiam & subiectiue, eo enim respectu vnum veneramur DEVM I Cor. IIX. 6., sed nuncupatiue, attributiue, qua imperium & dignitatem a summo Numine illis collatam, vos estis quod Ps. LXXXII. expresse adiicitur, & speciatim ad totum magistratus Iudæorum corpus refertur. confer Doctiss. SCHLICHTERI decimas sacras obs. XLVII. qui etiam ex Cel. LAMPPIO obseruat, hoc nomen non de omnibus Israelis Regibus vsurpari, sed tantum de magistratu illo ecclesiastico politico senatorum in deserto institutorum.*

§. VI.

Non immerito autem quæritur caussa, ob quam hunc præ ceteris locum Seruator noster defensionis suæ fundamentum posuit, quum ad illa ipsa loca prouocare potuisset, e. g. Exod. XXI. 6. c. XXII. 27. vbi DEVS magistratus Deos vocauit. Ad quam quæstionem respondendum est: Iesum in præsentem hunc nec alium adduxisse

locum, quia, quæ in illo Ps. LXXXII. erant de Messia prædicta, κατὰ ἑητόν tunc temporis adimplebantur. conf. Cel. LAMPIVS *ad b. l.* Stetit Dominus Messias in populi, quem sibi in peculium elegerat, medio disputans, atque causæ suæ veritatem argumentando adserens Ps. LXXXII. 1. Iudæi, imprimis Pharisei, non iustum iudicabant iudicium v. 2--4. e contrario illum, qui ipsa est veritas mendacii, qui summa maiestas blasphemix incusabant. Hæc, & id genus plura, si attendimus, facili, immo nullo negotio inueniemus, nullum in omnibus V. T. libris locum ad hanc causam dirimendam fuisse magis idoneum illo, quem a Christo allegatum legimus, nulliusque sensum fecundiores hoc ipso.

§. VII.

Sed ad argumentationem Christi ex l. c. desumptam procedamus, quam quidem v. 35. 36. ita concipit: *quod si verum est, DEVM altissimum Deorum nomine adpellare, qui regnorum gubernacula tenent, (id quod vos ipsi haut negabitis, nisi forte S. scripturam irritam facere tentaeritis,) ad quos, s. vt alii, e. g. HEINSIVS in Aristarcho notante Doctiss. I. R. RVS in harmonia Euang. ad b. l., qui addit loca Marc. XII. 12. &c. malunt τὸ πρὸς exponere, contra quos verbum Dei factum; si verum idem est, scripturam sibi non posse contradicere; namque hanc τῆ λυθῆναι h. l. esse emphasin putamus, conf. Matth. V. 17. vbi compositum καταλύειν idem significat. Facit nobiscum hac in re HENRIC. STEPHANVS, qui HOMERVM hoc sensu & λύειν & καταλύειν usum esse adnotat ad verbum λύειν in thes. ling. græc. tom. II. p. 748. Quo iure, pergit Christus v. 36. aut sub qua iuris specie, audetis me blasphemix accusare, me, quem pater cælestis inde ab æterno, ante terras*
fun-

fundationem, ad officium Messianum obeundum destinavit, ad mediatorem inter DEVM & homines separavit, constituit & ordinavit: id enim τὸ ἀγιάζειν proprie significare pluribus ostendit SVICERVS in thes. eccles. tom. I. p. 55. qui inter alios citat Cyrill. Alexandr., qui τὸ ἀγιάζειν exposuit per προχειρίζεσθαι παρὰ Θεῶ πρὸς τὸ πρᾶξαι τι τῶν κατὰ γνώμην αὐτῶ i. e. eligi a DEO ad aliquid ex voluntate illius peragendum: & quem suo tempore misit in mundum ad ea, quæ sibi demandata sunt, rite perficienda, quomodo, inquam, mihi, qui omnes magistratus vestri personas familiaritate cum Deo, siue gradum, siue durationem eius respicitis, quam longissime supero, blasphemix culpam ex eo capite imputabitis, quod filium DEI me vocavi?

§. VIII.

Duo in his verbis Christum deprehendimus supponere. Primum, Deos a DEO vocari, vel ad quos sermo Dei directus erat, auctoritatem ipsis tribuendo sui que vicarios constituendo, vel aduersus quos fuerat sermo DEI factus, i. e. qui parum diuini in administratione iustitiæ præ se ferebant, vt qui innocentem condemnabant, criminis e contrario reum, contra DEI voluntatem in lege expressam, absoluebant. Alterum, quod Iesus Iudæis itidem consentientibus pro vero adfirmat, in eo consistit: Scripturam S. sibi numquam contradicere posse; quod si secus esset, in DEO, auctore huius scripturæ, imperfectionem inferret, præsertim respectu constantiæ immutabilis, secundum quam heri, i. e. ab æterno, & hodie, i. e. in æternum, idem ille est Ps. CII. 28., neque minus ratione cognitionis perfectissimæ, ex qua inde ab æterno omnia tamquam præsentia vidit, atque distincte cognouit.

§. IX.

§. IX.

Duobus hisce præmissis duo præterea de semet ipso adiungit v. 36, quorum prius in eo positum est, quod se a patre sanctificatum prædicet, i. e. vti §. VII. exposuimus, sibi partes officii mediatorii a Patre esse concreditas, seque eum in finem Spiritu S. sine mensura esse vinctum; quemadmodum ad initiationem sacerdotum V. T. inter varios ritus vinctio in primis pertinebat, vti liquet ex Exod. XXX. 30. & Lev. IIX. 30. conf. LAMPIVS ad n. l. Cum hac vero sanctificatione missio Filii in mundum quam arctissime cohæret, id quod ex verbis CHRISTI videmus: illa enim in hac fundata est. Ex utraque vero adparet magna immo maxima Christi præ omnibus magistratus personis prærogatiua. Israelitarum iudices vocati sunt Dii in tempore, Iesus vero ante omnia sæcula mediator ac iudex non populi Iudaici solummodo, sed totius generis humani constitutus, & omnibus, quæ ad munus hoc implendum necessaria, donis instructus est. Adeoque multo maiori iure ipsi, atque magistratui vlli, competebat DEI titulus.

§. X.

Non erat igitur, quod Iudæi Iesum blasphemiam inculparent. Alioquin enim omnes, qui magistratum Deorum nomine adpellabant, eiusdem criminis arguendi fuissent, ideoque DEVS ipse, absit blasphemia dicto, hoc facinus perpetrasset, quando Ps. LXXXII. 6. & aliis in locis hoc nomen magistratus personis tribuit. Quo negato concidit simul totum crimen, cuius Iudæi Christum insimulabant: præsertim, cum Saluator noster etiam respectu humanæ naturæ suæ Filium DEI se nominare posset, vtpote qui non solum ex regia stirpe ortus, verum
per

per immediatam operationem DEI formatus, & ex Maria productus fuit.

§. XI.

Sed sufficient hęc de responsione Christi præparatoria, quę simul apologetica erat, sequitur nunc v. 37. 38. responsum eius ad Iudęorum quęstionem directum. Quod cum præcedentibus hunc in modum cohæret: cum v. 35. 36. ad oculum demonstrasset, non vniuersaliter veram esse eorum propositionem maiorem, quod scil. quicumque homo existens nomen DEI sibi vindicans pro blasphemante habendus sit, vti per instantiam ex Ps. LXXXII. 6. ostenderat, in sequentibus illis indicat, sibi aliud quoddam superesse ius vtendi hoc nomine, quod vere DEVS æternus & omnipotens sit, ex operibus id demonstraturus. *Si non fecissem, inquit, opera Patris, puta miracula, quorum multa diuersi generis sæpius vno eodemque die Iesus edidit, aliquam saltem incredulitatis vestrę causam interserere possetis; quod nimirum Messias ex Ies. XXXV. 5. miracula patrare debeat: at vero, cum facio talia Patris mei opera, qualia de Messia vestro expectatis, nisi mihi meisque verbis fidem habetis, credite quęso operibus, quę ad vnum omnia de diuinitate mea, ardis- simeque cum DEO nexu testantur. Spero enim quam certissime, fore, vt ita me in Patre, & Patrem in me esse cognoscatis, & omni de me dubio liberemini.*

§. XII.

Duo inprimis sunt, quę Christus his verbis ab inimicis suis postulat; quorum primum eo tendit, vt, priusquam iudicium de verbis atque persona ipsius ferant, omnia ipsius opera mente & oculis a præiudiciorum vitio liberatis considerent. Facta enim, actiones, operationes & effectus causam illorum rationem complexam produnt & testantur.

C

Quum

Quum igitur opera Christi supra omnes naturæ leges fuerunt posita, quemcunque convincere poterant de summa eius atque vera diuinitate. Alterum, ad quod Christus Iudæos hortatur, est, vt examine in opera eius instituto, eorumque diuinitate explorata, ista pro principio cognoscendi, & de officio & persona Christi iudicandi adsumant. Qua in re si obedientiam Iudæi præstitissent, non potuissent non ex diuinitate operum a Christo propria virtute ac potestate editorum, personæ eius diuinitatem per consequentiam necessariam colligere, secundum canonem: *effectus non potest esse nobilior sua causa*. Id quod Iesus iam in antecessum illis adfirmabat v. 38., conscius sibi bonitatis suæ causæ, dum ita sermonem suum finit: *vt cognoscatis & credatis, quod in me Pater, & ego in illo*, quibus denuo, quod v. 30. dixerat, repetens idem, tamquam veritatem firmissimo talo nitentem, confirmat.

SECT. II. DOGMATICO-POLEMICA.

§. XIII.

Ex hac interpretatione textus nostri, ni toti fallimur, liquet, sermonem in eo esse de diuinitate suprema Seruatoris nostri, & Christum eiusmodi sibi vindicare dignitatem, quæ non, nisi per summum nefas & blasphemiam, ab homine sibi vindicare perperam potest, quia solius DEI est. Potest eo referri ipsa Iudæorum interrogatio, quando ex Christo quærebant, an verus ille, atque patribus olim promissus Messias esset, nec ne? siquidem ex ipsorum Iudæorum sententia non homo ex hominibus solum, sed simul Dominus Iehouah esse debebat conf. Ier. XXIII. 6. quem locum plurimos Iudæorum antiquorum de Messia esse interpretatos pluribus docet Cl. LE MOYNE in *Dissert. de Iehouah Iustitia nostra*

stro

stra p. 14. seq. it. IACOBVS GAILLARDVS in specim. quæst. in N. Test. de Filio hominis quæst. II. p. 21 22. Quum igitur Iesus ad Iudæorum quæstionem adfirmando responderet, eo ipso diuinam sibi naturam, diuinam essentiam tribuit. Potissimum autem ex responsione sequenti ad imputatam sibi blasphemiam illud apparet, quam Christus ita amolitur, ut non neget eam sibi competere diuinitatem, verum asseueret, posse se vocari Deum sine blasphemia, operibusque satis demonstrasse, se vere id esse, quod hoc nomen indicat. Quæ si minus ita se habuissent, quid æquius, quid veritati conuenientius futurum fuisset, quam ut Christus aduersariorum imputationem clare & simpliciter negaret, neque per ambages sed expresse diceret, minus recte se intellectum esse, & locutum de impropria diuinitate, quod tamen factum haut legimus; e contrario textum inspicientes condocemur, Iesum ex Iudæorum sententia respondisse, atque firmissimis probatam dedisse argumentis, se sine blasphemia eiusmodi diuinitatem sibi ob opera vindicare, quæ ab aliquo homine alio sine blasphemia sibi tribui non possit.

§. XIX.

Quoniam autem cardo rei in argumentandi modo, a Christo v. 34..38. adhibito, vertitur, illum pro viribus indagabimus. Non vna hac in re, sicuti in permultis aliis, eruditorum est sententia, qui in duas potissimum partes abeunt. Alii putant Iesum a pari argumentari, hunc in modum: *si magistratus vester, & muneris ergo a DEO isti concediti, & propter sermonem DEI ad illos factum Deorum nomine salutatur, nescio quo iure mihi blasphemiae vitio vertere possitis, quod mihi titulum DEI vendicaui, quum tamen & ego singularis DEI legatus sim, quem DEVS nobis voluntatem suam annuntiatum, vosque a variis morborum generibus*

sanatum misit, ad quem etiam, cum baptizaret, sermo DEI factus est. Similes ergo dum sumus respectu praerogatiuae prae reliquis hominibus, simili nomine etiam nuncupari optimo iure possumus, secundum tritum illud sermone prouerbium: *similium similis est ratio*. Quod si eum concludendi modum admittimus, Iesus per hoc exemplum adhibiti nominis DEI ad homines denominandos instantiae instar vniuersalitatem maioris propositionis in Iudaeorum ratiocinio infractum iuit. Multis tamen, quos inter MARTIN. CHEMNITIVS *in loc. theol.* sententia haec plane displicet. Ita enim auctor modo citatus *in loco de Filio DEI* scribit: *hoc argumentum non est, ut volunt Arioni, ex loco similium*. Causa igitur, cur ille, & cum illo multi alii hanc textus explicationem respuant, est formido accedendi ad diuinitatis Christi hostes propius, quam par est, qui exinde cauillantur, Christum eiusmodi DEVM esse, quales magistratus omnes sunt, nuncupatiue scilicet, de quo postea agendi locus erit.

§. XV.

Plerique iccirco, inter quos excellit SEB. SCHMIDIUS in libro supra cit. Cel. LAMPIVS & alii, CHRISTVM a minori ad maius esse argumentatum existimant, & horum sententiae etiam nostrum calculum adiacere haut dubitamus. Audiamus igitur, in quo neruus totius argumenti positus sit. Concedit primum, Iudaeis vna consentientibus, magistratui Ps. LXXXII. 6. & in aliis locis honorificum Deorum nomen tribui, tanquam vicariis iustitiae diuinae inter Iudaeos administratoribus, quorum praecellentia duplici in primis fundamento innitebatur: 1) quia sermo DEI ad illos erat factus, i. e. quia ex mandato diuino iudicium spartam atque officium adsecuti erant. 2) Quoniam scriptura non potest solui i. e. ut nos §. VI. explicauimus, sibi metipso non potest

potest contradicere, s. id in locutionibus sententiisque committere ipsa, quod aliis prohibuit. His præmissis v. 36-38. suam Iesus prærogatiuam adstruit, seque Filium DEI longe excellentiori præ magistratu modo esse demonstrat duplici effato. Primo dicit: Sanctificatum se a patre esse i. e. Messiae munus inde ab æterno sibi a patre esse concreditum, seque donis ad illud munus rite obeundum necessariis esse instructum. Deinde addit missionem suam in mundum, quæ propterea requirebatur, vt, quæ Iesus Patri præstare ante mundi productionem sancte promiserat, in tempore exacte implerentur in æternam hominum salutem. Vtriusque igitur & magistratus & sui prærogatiuas expendere a Iudæis postulat, atque deinde iudicare, anne sibi maiori iure, & excellentiori modo omnique vocis proprietate DEI titulus competat. Quo simul voluntati atque quæstioni Iudæorum fecit satis; flagrabant enim desiderio, aut simulabant potius idem, sciendi esset ne hic Iesus verus Messias; hoc loco igitur palam se a patribus iam dudum & anxie expectatum confitetur, & re ipsa ea præstitisse, quæ non, nisi a DEO virtuteque infinita produci possint.

§. XVI.

Hæc vt clariora & certiora euadant, vberius iam proponenda sunt. Iesus suam præ omnibus hominibus dignitatem ac maiestatem demonstraturus Patrem se sanctificasse ait, & in mundum misisse. Quibus verbis præexistentiam suam ante natiuitatem atque aduentum in hunc terrarum orbem haut obscure innuit. Sunt quidam viri docti, qui cum Doctiss. SER. SCHMIDIO per sanctificationem, cuius Christus h. l. mentionem facit, essentialis diuinæ sanctitatis communicationem per æternam generationem factam intelligunt, eam sc. ob causam, quia alioquin oppositio Christum inter

& magistratum non rite sese habeat, siquidem & hic ad munus suum segregatus & destinatus sit. Quod tamen nos a recepta sententia abducere non valet, multis enim parasanguis Christi sanctificationem a magistratus electione ad munus & gradu, & ipsa specie distare, atque multo excellentiorem esse, ipsi prioris sententiæ affectu haut inficiabuntur. Sicuti & nos concedimus, Christum omnino his verbis ad æternitatem suam respicere, ubi de sanctificatione ante missionem in mundum, immo ante mundum conditum facta, loquitur, eamque, ut ex aliis scripturæ locis Iudæis non ignotam supponere. Cuiusmodi loca occurrunt plurima e. c. Mich. V. 2. ubi dicitur Messias, quem Iesum fuisse euentus comprobavit, Dominus, cuius exitus i. e. generatio coll. Gen. XVII. 6. 2 Sam. VII. 12. inde a diebus æternis. It. Prou. IIX. 22. ipse Filius DEI, sapientia substantialis, de se prædicat: *Dominus Iebouab me possedit ab initio viarum suarum* i. e. ab æterno coll. Pf. XC. 2. Quo in loco multi quidem LXX. interpret. codices loco ἐκτισε legendum exhibuerunt ἐκτισε, quod quam perperam fiat, siue Arianorum deprauatione, siue alio quocumque casu demonstrat Cl. le MOYNE l. c. pag. 114. Eandem huius personæ æternitatem scriptores N. Test. demonstrant, e. c. Paulus Iesum vocat: Θεὸν ἐπὶ πάντων εὐλογητὸν εἰς τὰς αἰῶνας. It. 1 Ioh. V. 20. Ex quibus, & id genus pluribus resultat, æternitas huius personæ, ante sæcula a Patre sanctificatæ, & ad mediatorium officium destinatæ; vnde ita ratiocinamur: *Quicumque est æternus, ille est verus atque summus DEVS, atqui Christus, E.*

§. XVII.

Secundum pro diuinitate Christi summa argumentum ex n. l. exinde petimus, quia Iesus, quæ v. 30. dixerat, se scilicet cum Patre vnum esse, constans defendit, nec periculosissima

ma

ma Iudæorum imputatione blasphemiam eo est perductus, ut palinodiam caneret, atque reuocando periculum capiti suo imminens euitaret. E contrario, quæ antea adfirmauerat de se, in iis propugnandis etiam in nostris verbis totus est. Ingenue fatetur se sibi nomen DEI vindicasse, neque negat, se sibi dignitatem Filii DEI & ipsam diuinitatem tribuisse, quæ non nisi per summum nefas & blasphemiam cuiquam, qui non est summus DEVS, adscribi possit. Quam ob rem nomen filii Dei non sensu communi angelis Hiob XXXIIX. 7., magistratui Ps. LXXXII. 6. & fidelibus 2 Cor. VI. 18. hic, ubi sibi id vindicat, intelligendum erit, sed angustiore longe & diuiniore. Profitetur hac assertionem se esse filium *μωυουγενῆ*, sibi que similem aut æqualem non amplius existere, filium *ἰδιον τῆ πατρὸς*, qui eandem cum patre habeat essentiam scil. diuinam. Cuius assertionis, etiamsi Iudæis auditu & creditu difficillimæ, numquam seruatorem nostrum poenituisse etiam exinde colligimus, quod eam morte sua obsignauerit conf. Matth. XXVI. 63. 64. seq.

§. XIIX.

Tertium, quod Christi diuinitatem adstruit, argumentum in nostro loco obuium desumitur ab operibus eius propria auctoritate peractis, ad quæ Iesus prouocat tamquam ad demonstrationem omni exceptione maiorem. Quemadmodum autem omnia, quæ Iesus edidit, miracula ita sunt comparata, ut ex iisdem illius diuinitas certo deriuari possit, in primis tamen ad eorum vltimum Iudæos remittere videtur, ubi cæcum visu donauerat Ioh. IX. Cuius fama longe lateque percrebescens ipsos Iudæos haut effugerat, verum ad tribunal ipsorum delata fuerat, quamobrem hominem hoc beneficio ornatum eo adducere tentarunt, ut aut negaret in totum sibi visum a Iesu esse restitutum, aut, si hoc ob
magnam

magnam testium frequentiam haut satis commode fieri posset, mediis illegitimis, vel formulis incantatoriis, vel præstigiis aliis Iesum fecisse fateretur. Sed in cassum laborarunt infelices illi veritatis hostes. Tantum enim aberat, vt miraculum hoc in dubium vocaretur, aut Iesus peccati commissi argueretur, vt potius sanato veritatem eius iterum iterumque testante res eo pluribus innotesceret. Atque eiusdem conditionis erant etiam reliqua Christi miracula, quorum multa litteris consignarunt, plurima autem silentio transierunt scriptores sacri. Ex quibus ita ratiocinabimur: *quicumque effectum edit supra naturæ vires positum, ille Dominus & auctor naturæ, seu, quod idem, DEVS est, atqui CHRISTVS ipsis Iudæis haut refragantibus talia fecit, ergo est Dominus & auctor naturæ, immo DEVS summus ac perfectissimus.*

§. XIX.

Post argumenta ipsa diuinitatis proposita, iam considerandæ sunt Socinianorum exceptiones, quibus non solum effugere, sed & inuertere dicti huius neruum adlaborant. Excogitarunt nempe insigni rationis abusu, multa contra veram nostram, atque multorum sacri codicis oraculorum fundamento subfultam de diuinitate Christi sententiam, inter quæ nonnulla magnam quidem veri speciem præ se ferunt, a quo tamen, si curatius examinantur, longissime absunt. Atque vt opposita iuxta se posita magis elucescant, obiectiones & distorsiones eorum aduersus textum nostrum directas sub examen reuocabimus. Primum eorum contra nos argumentum ex eo desumptum est, quod Christus in statum confessionis h. l. adductus se magistratibus, adeoque diis improprie sic dictis & nuncupatiuis comparet, ex quo colligendum putant, Christum non vere esse Deum supremum ac perfectissimum. Audiamus vnum ex grege eorum,
WOL-

WOLZOGENIVM puta, qui in comment. s. ad b. l. ita scribit: "Ex locis, ubi sc. magistratus Elobim vocantur, patet, nomen DEI in sacris litteris non semper DEVM supremum significare, sed duplicem esse nominis istius sensum. Aliquando sumitur, & quidem frequentissime pro eo, qui summus est rerum omnium creator ac moderator, & hoc sensu vultus tantum dicitur esse DEVS Deut. VI. 4. isque nullus alius, quam pater 1 Cor. VI. 8. Aliquando vero vox DEI sensu minus excellenti accipitur pro eo, qui sublimem habet potestatem a summo DEO sibi communicatam - - Et paulo post: est Christus summus Deus inter eos, qui ex gratia summi Numinis communicata gaudent potestate diuina. Absolute autem summus & altissimus DEVS est solus pater, qui est a se ipso, & a quo sunt omnia.," Hæc ille. Distinguunt itaque aduersarii inter DEI nomen, quando Patri & quando Christo datur, illum dicunt hoc nomen gestare essentialiter, Christum vero per communicationem potestatis aliquam, ex mera gratia factam. Verum hæc gratis supponunt, & in eo principium petunt. Posset, fatemur, ille verborum ex contextu auulforum sensus esse, si eiusmodi distinctio in scripturis obseruata aliis locis probaretur, quod quum nec fiat, nec fieri queat, ex nostro textu non probatur, in quo alius verborum sensus non solum locum habet, verum per contextum determinatur. Supponunt præterea Iesum h. l. a pari argumentari, quum tamen a minori ad maius, quod §. XV. probauimus, ratiocinetur; ideoque non eo, quo magistratus vocatur, sensu nomen DEI sibi vindicet, sed modo longe excellentiori. Non in eo igitur causa citationis loci ex Ps. LXXXII. 6. continetur, quod quales magistratus sint, talem se quoque esse Iesus probare voluerit,

D

rit,

rit, sed eum in finem ad hoc effatum prouocauit, vt suam præ omnibus magistratibus præcellentiam eo melius exponeret. At finge, Iesum, vti ex nostratibus multi æstimant, ratiocinari a pari, non tamen exinde sequitur, vt se in omnibus magistratui, & eundem sibi parem esse dicat; quum tantum exemplo & instantia ostendat, non quauis vsurpatione nominis DEI, dummodo legitime se habeat, blasphemiam committi, quo sensu ante, id sibi vindicauerit, prouocando ad opera sua, declarat.

§. XX.

Alterum, quo Sociniani diuinitatem Christi ex h. l. impugnant, argumentum illud est: Christum se vocare non absolute Deum, sed filium DEI. Ex quo ita concludunt: *quicumque se filium DEI nominat, ille non est supremus Deus. Atqui Christus h. l. &c. Ergo. vid. WOLZOGEN ad b. l. it. CRELLIUS in lib. de vno Deo patre sect. II. c. 2. vbi verba eius hæc sunt: "excellentior & maior est is, qui essentiam suam, & quidquid omnino habet, a se ipso habet, quam is, qui ab alio essentiam habet, & omnia, quæ essentiam consequuntur. At Deus Pater essentiam habet a se ipso, Filius autem a Patre, ergo Pater est inferior. "* CONF. B. IOH. MVSÆI Colleg. *Controuers. contra Becanum, Wendelinum & Crellium pag. 447. seqq.* Certe hic aduersarii inuenisse sibi videntur, quod non pueri in faba. Vbi tamen imprudenter satis extraessentialia & accidentalia momenta generationis cum essentialibus confundunt. Communicatio enim essentiæ, qua generatio proprie peragitur, pro diuersitate essentiæ communicandæ diuersa est: in finita contingentium essentia communicanda posterioritas & dependentia generati a generante ex generatione sequitur; verum in infinitæ, necessariæ & perfe-

perfe-

perfectissimæ essentia communicatione ea absunt, quæ ex essentia finita contingentium sequuntur, ut quæ non nisi æterna & necessaria esse potuit. Rectius sic colligere possumus, quod qualis essentia generantis, talis etiam generati; atqui Pater essentiam infinitam & necessariam possidet, ergo aliam cum Filio non communicavit, quam infinitam ob necessariam, in quam posterioritas, inferioritas, dependentia propria non cadit. Pluribus hac de re agit Doctiss. BECMANNVS in annotat. vberiorib. ad comp. Hutteri p. 112. Valde autem mirandum, quod Sociniani eiusmodi absurdum ex hac adpellatione Christi elicere conantur, cum tamen ne Iudæi quidem, hostes Christi infensissimi, hunc sensum ex istius verbis deriuarunt, sed nostrum potius, quem deinde Christus in responsione sua haut improbavit, sed potius adprobavit. Numquam illi Christum blasphemiae reum egissent, nisi credidissent, eum æqualem esse DEO, qui ipsius filium se dicit. Poterunt igitur Sociniani a Iudæis rectiora edoceri.

§. XXI.

Tertium inimicorum argumentum exinde desumitur, quod Christus h. l. suam diuinitatem adserens, non ad æternam generationem, sed ad missionem in mundum prouocavit, ubi sequens proponunt ratiocinium: *quicumque mittitur ab alio, mittente est inferior; atqui Christus a Patre suo in mundum missus est coll. v. 36. & c. VII. 28. Ergo. Eum in modum WOLZOGEN ad h. l. scribit: "His verbis continetur ratio, ob quam se Christus dicit DEI filium. Nihil autem hæc ratio habet cum æterna Christi generatione ex essentia patris - - multo minus hinc colligi potest Christum esse DEVM summum, quin potius contrarium hinc colligitur. Ma-*

„ior enim est, qui sanctificat, quam qui sanctificatur, maior qui
 „ordinat, quam qui ordinatur, & maior is, qui mittit, quam
 „qui mittitur. DEO autem summo nemo maior esse potest. „
 Sed quis non videt primo statim intuitu maiorem huius ar-
 gumenti non vniuersaliter veram, sed ita limitandam esse, vt
 aliud esse dicamus mittere aliquem ex aliquo superioritatis
 iure, quod sine probatione & per principii petitionem h. l.
 aduersarii adsumunt, aliud autem aliquem ex ipsius consensu
 mittere, quod posterius de Christo valere omnia, quibus
 summam diuinitatem Christi probamus, argumenta confir-
 mant. Missus scilicet erat Christus a patre in mundum ex
 foedere & pacto æterno ante sæcula inito, ad salutem totius
 generis humani promerendam: ideoque non vi aliqua ad-
 actus, siue in signum inferioritatis hac legatione fungebatur,
 sed sponte & vltro, per consequens hæc missio illius sum-
 mæ diuinitati minime gentium aduersatur. conf. IOH IAC.
 CRAMER *theolog. Israel. part. I. ad l. Exod. XXIII. 20-23. §. 4.*
 qui Christum frequentissime, ait, prouocasse ad missionem
 suam, quoniam iam olim sub nomine מלאך אלהים, missi
 a Deo, patribus innotuit. Accedit, quod Christus etiam vt
 homo, & in opere mediatorio Θεάνθρωπος consideratus Fi-
 lius DEI vocari possit, missus a Patre, quo respectu vtique
 minor est Patre. Ioh. XIV. 28.

§. XXII.

Quartum denique argumentum, quod ex h. l. contra
 nostram sententiam inprimis vrgent exinde petunt, quod
 Christus in responsione sua aduersus Iudæos haut deneget
 se esse hominem, eiusdem cum magistratibus indolis; id
 quod Christum haut facturum fuisse prætendunt, si verus
 simul atque summus fuisset DEVS. Contra quod quidem
 conce-

concedimus lubenter, Iesum verum fuisse hominem, qua de re multa in sacris pandectis occurrunt dicta probantia e. c. Ebr. II. 14. Rom. IX. 5. 1 Tim. II. 5. quocirca se ipsum saepius filium hominis Iesus adpellitavit. Quod autem ex his concessis adversarii praeterea concludunt, iccirco Christum non simul verum fuisse DEVM, *quoniam fieri non potest, ut duae naturae in unam coeant, quod Catech. Racou. mai. in art. de Christo c. I. quaest. 4. 5.* adferunt Sociniani, eius probationem adhuc desideramus. Quaecunque enim huc usque ad fictae huius impossibilitatis probationem protulerunt, non tanti momenti sunt, ut in partes ipsorum nos trahi patiamur. Summa enim eorum eo redit, difficilius hoc esse, quam ut intellectus noster illud capiat. Quasi omnia essent falsa & impossibilia, quae intellectus nostri vires superant. Falsum hoc esse Sociniani, nisi non solum s. scripturae, verum etiam experientiae repugnare voluerint, concedere cogentur. Quod si ab illis impetrauimus, futilitatem huius obiectionis suae ipsi facile agnoscent. Tantum igitur abest, ut locus noster diuinitatem Christi infringat, quod omnibus his argumentis aduersariorum euietum omnino non est, ut potius contrarium eodem comprobetur, eaque diuinitas firmissime stabiliatur.

SECTIO III. MORALIS.

§. XXIII.

Restat ut tertio loco ostendamus, quomodo hic locus animi vitaeque emendationi inseruiat; quum non solum omnis scriptura in hunc potissimum finem data, sed vita imprimis Christi non magis meritoria, quam ut exemplar imi-

tationi nostræ proposita sit. Comprehendemus autem præcipuas h. dicti veritates confectariis quibusdam, quorum primum hoc esto: *licitum est de veritatibus, etiam diuinis, disputare, si modo rite & legitime id fiat, tam respectu finis, ob quem, quam modi, quo id agitur.* Ipse Seruator noster h. l. cum Iudæis, vti & in multis aliis locis e. c. Matth. XXII. 15. seq. Luc. II. 46. 47. Marc. XI. 27. seq. disputando congressus est, suamque contra illorum obiectiones dignitatem & diuinam auctoritatem argumentis ad ratiocinandi leges exacte compositis defendit. Qua in re primæua N. Test. ecclesia secuta est: doctores nempe cum iuratis coetus Christiani hostibus conflictum haut detrectabant; vti pluribus docet Cl. NEUBAVER in *diss. de Jure Disputat.*

§ XXIV.

Iniuriam & calumnias amoliri haut est illicitum. Probe nouimus quidem, quod iniuriam patienter ferre præstet, quam alteri facere. Haut ignoramus effatum Christi Matth. V. 39. *ne resistatis malo.* Notum nobis est eos a Petro I Epist. II. 19. laudari, *qui sustinent tristitias, & iniuste patiuntur.* At vero hæc, & id genus plura, ita sunt comparata, vt propositioni nostræ non contradicant: si modo casus, in quibus, & modus, quo id Christiano licet, rite obseruantur. Omnes vero, quæ huc spectant, regulas tradere, ab instituto nostro nimis alienum est. Sufficiet vnum duntaxat ex ceteris eligere casum, quem in l. n. deprehendimus: si sc. iniuria nobis illata non nobis solum nocet, sed ad aliorum etiam perniciem & damnum pertinet, modeste eam & legitime amoliri possumus. Exemplo nobis Iesus h. l. est: Iudæi nihil intentatum relinquebant, quo officium & opera Christi populo suspecta redderent, eum in finem modo aperto

aperto

aperto Marte, modo cuniculis ipsum impugnabant, Samaritanum, a diabolo obsessum, immo Beelzebub ipsum dæmonum principem, & h. l. blasphemantem adpellabant. Iesus autem iusti rectique sibi conscius, & criminationes Pharisæorum tendere ad officii sui contemptum, vnde aliorum perniciæ verenda arbitratus, eas modeste æque ac solide refutavit. Non est igitur, cur fidelibus in ecclesia doctoribus vitio vertamus, si famam suam contra obtrectationes, & iniquos impiorum sermones tuentur.

§. XXV.

Magna in defendenda innocentia & offerenda dignitate nostra modestia opus est. Iesus de principatu atque munere suo interrogatus neutrum eorum negavit, quippe quod sine veritatis detrimento fieri non poterat; attamen in vtriusque adfertione non minus sapientem quam modestum se gessit, ut Christum h. l. talem, qualem istum Paulus Phil. II. 6. prædicat, reperiamus, illum puta, qui ἐν μορφῇ Θεῆ ὑπάρχων, ἐκ ἀρπαγμὸν ἠγήσατο, τὸ εἶναι ἴσοι Θεῶ. Adparet exinde, quam longissime absint & distent a Christi exemplo, qui vbiuis honores, atque munerum, quibus funguntur, dignitatem iactitant, deque iis eum in finem gloriantur, ut alii eos admirentur, & deorum instar venerentur. Multis scil. parasangis differunt a Christo, cuius nomen ore quidem confitentur, at operibus proh dolor! plane abnegant.

§. XXVI.

Verba atque argumenta nostra ad captum auditorum & aduersariorum nostrorum sunt accommodanda. Id nimirum Christus & hoc, & multis aliis locis, exemplo suo docuit. Nemo enim multas Christo n. l. respondendi vias patuisse negabit

negabit, quod vero hanc nec aliam potius elegerit, causa fuit, ut inimici pariter ac reliqui, qui aderant, auditores adfertionis suae veritatem eo facilius introspicerent. Qua in re nos, praesertim in proponendis ac demonstrandis veritatibus occupatos Christum, tamquam magistrum sequi oportet. Numquam enim alius verbis sesquipedalibus de causae bonitate conuincitur, obtundi quidem iis, eoque adduci potest, ut ad tempus verbis fidem habeat; quoniam autem animi conuictio non adfuit, etiam ille assensus fundamento carens pedetentim desinit. Quodsi autem omnia argumenta nostra ad illorum captum quam maxime fuerint composita, nec inimici tamen locum veritati apud se reliquerint, id tunc insigni eorum pertinaciae malitiaeue, haut vero nobis erit tribuendum.

§. XXVII.

*Principes ac magistratus imaginem DEI gerunt, quod & ipsos, & subditos eorum, ad officia quaedam obstringit. Ipse DEVS altissimus deorum nomen iis donauit, ad eorum excellentiam eo clarius indicandam. Ea enim inest vis voci אלהים, si latiori significato ponitur, ut quicquid inter naturas intelligentes excellens est, magnaue praeditum potestate signari illo possit, ut recte obseruat Cel. LAKE-MACHERVS *obs. S. part. I. obs. IV. §. 9.* Praesertim autem dii adpellantur, ob honorem & imperium summum a DEO illis collatum, quippe qui DEI inuisibilis vices inter mortales ordinando, imperando, remunerando & puniendo gerunt. Quo ipso nomine perquam honorifico, ubi vicarii DEI vocantur, ut ad summi Principis, Regis regum & Domini dominantium exemplum se componant seque praestent per omnia iustos, benignos, sapientiae cum potentia*

con-

coniungendæ. Ex eodem autem fonte officia subditorum erga Principes suos manant. Debent scil. illis pietatem ac reuerentiæ cultum, debent obedientiam in omnibus, quæ legi diuinæ non repugnant, idque non ex poenarum formidine, sed DEI causa præstandum. Quæ officia non piis tantum magistratibus atque DEI imaginem vita moribusque suis exprimentibus, sed & eadem abufis exhibenda sunt.

§. XXIX.

Non sufficit vocare se Christianum, sed re ipsa & actionibus id demonstrandum est. Enimvero Iesus suam cum Patre coniunctionem demonstraturus ad opera sua prouocauit. Ideoque recte IGNATIVS scribit: *πρέπον ἐστὶ, μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εἶναι.* Ad quem lapidem lydium si totus Christianorum coetus examinaretur, exiguus certe Christianorum esset numerus. Vt proinde B. ARNDIVS ecclesiæ nostræ lumen ac decus, haut sine summo iure in symbolum sibi elegerit: *Christum habere multos seruos, nomine tales, sed admodum paucos, qui illius vitam, tamquam vitæ suæ exemplar, sibi ob oculos proponant.*

§. XXIX.

Maxima S. Scripturæ in controuersis theologiciis est auctoritas. Quum enim Iesus diuinitatem suam defensum irer, ad V. Test. prouocauit. Non vero verba tantum spectauit, sed sensum potius, quidque ex hoc per consequentiam necessariam flueret. Ex quo videmus, quid de methodo illa, inter Pontificios recepta, sentiendum, quam *Verianam* adpellant aut *Walenburchianam*, ex qua nullum in

E

con-

controuerſiſis admittunt argumentum, niſi totidem verbis in Sacro codice fuerit expreſſum. Quod diſputandi genus, per conſequentias neceſſarias, ſi illegitimum eſt, ipſe Saluator noſter I. N. in illud peccauit: quod poſterius ſi ex Pontificiorum ſententia falſum eſt, nec prius verum eſſe poterit. Pateſcit porro hinc, vnde tot ſectæ, tot hæreſes in eccleſia fuerint natae. Exinde nimirum, quia ad verum & genuinum S. Scripturæ ſenſum non ſatis probe attende-
runt: neque ſenſum locorum eruerunt, ſed ex mente & hypotheſi ſemel recepta intulerunt: vti iam dudum viris doctis obſeruatum eſt, qui hæreticorum argumenta, quibus ſententiam ſuam callide palliant, & fortiter, vt putant, tuentur, examinarunt, eorumque futilitatem ſatis clare ſolideque demonſtrarunt. At hic pedem figamus, & DEO pro auxilio ſuo gratias agentes tractationi noſtræ imponamus

F I N E M.



RESPON.

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Vide quantum TVAE dexteritati tribuam. Reddo TIBI disputationem, quam mihi corrigendam tradidisti sine mutatione eandem, non, quod limam minus admittere arbitrer, aut argumentum curatiori tractatione dignum esse negem, sed vt progressus in litteris et sanctiori doctrina factos sic certius declares, et *REGI* in primis *POTENTISSIMO*, studiorum tuorum *STATORI*, vna cum promptissimo obsequio demonstres. Age igitur, eundem TE in defendenda dissertatione auditoribus proba, quem TE in elaboran-

E 2

boran-

boranda præstitisti, alacrem et veri certique studiosum. Gratulor **TIBI** causam, quam suscepisti, his nostris temporibus dicendam omnino. Quam si recte didiceris, crede mihi obtinebis. Seruatoris **O. M.** de salute nostra meritissimi maiestatem vindicatum is. Laudo voluntatem, quæ iam ipsa in tam præclaro labore laudanda est, successus felices auguror. Tuere fortiter gloriam Domini nostri *Iesu* non hac tantum opera **TVA**, et velitatione academica, verum omni virium contentione in eo elabora, quoad viues, vt viua eius cognitione imbutus ipsum cogitationibus, sermone, ipsa denique vita concelebres. Ita demum *REGI* munificentissimo satisfiet, qui Regia liberalitate ad litteras **TE** excitauit et huc transmisit **SVIS** sumtibus nutriendum, et ad bonam mentem, solidam doctrinam publicamque cœtus sacri vtilitatem formandum. Spem *REGIAM* nondum fefellisti, sed expectationem, quam de **TE** habuimus omnes, adhuc impleuisti. Indefessam Præceptoribus **TVIS** operam nauasti, quod mihi maxime innotuit, qui communi **TE** cum domo vtor, **TE** que assiduum lectionum auditorem habui. Iuuentutem ex aliquo

aliquo tempore laudabiliter instituis. Aequales multos proficiendi felicitate antevertis, in posterum TE ipsum superabis. Quod reliquum est, ut dies, quem pro TVA in *REGEM CLEMENTISSIMUM* pietate solemnitati certaminis academici destinasti, natalis *POTENTISSIMI REGIS*, ipsi *indulgentissimo PATRIAE PATRI*, *Familiae Regiae*, patriae, Academiae et TIBI sit longe auspiciatissimus, ex animo ardentissime precor. Ita in rem TVAM vale rectissime. Dedi in Academia Fredericiana d. iv idus August. anni
CICID CCXXXV.

CVi pectus triplici tuetur aere
Securum labor improbus, benigna
Natura, & quod ubique litterarum,
Doctorem quod ubique sanctiorum
Seuera veterique disciplina:
Qui defendere veriora veris
Christi praecipuos subiit honores,
Oppugnare iuuabit? an triumphum
Praestat iam meritum ante gratulari?

E 3

En!

En! arridet vtrumque. Gratulabor
Nunc, pugnabo deinde, deinde vincar,
Palmas tradam, iterumque gratulabor.
Sic fortissimus Hectoris nepotum
Pergas vincere squallidæ phalangas
Noctis: sic TIBI vindicatus ille,
Cui sit gloria principis deorum,
Sit vindex etiam, suumque tandem
Iniecta iubeat manu esse totum:
Toto vt pectore iam lubens volensque
Vincendus TIBI plaudo, gratulorque
Hæc palaria, & eruditionem,
Numen propitium, bonumque REGEM.

publice contradicturus

M. Alexander Gottlieb Baumgarten,
Berolinensis.

MADRIGAL.

So wilt Du Deines Königs Willen,
Mein Freund, am ersten mit erfüllen;
In dem Du disputirst,
Und uns auf Christi Gottheit führst?

Du

Du zeigest wider alle Spötter
Daß uns mit zum Beweis
Die Obrigkeit, als dieser Erden Götter,
Von des Erlösers Gottheit dienen.
Da dieses nun von Deinem Fleiß
Demselben ein Beweis sollt werden,
Der auch ein Gott der Erden,
Und Dem man billig Wünsche bringt,
Da Sein Geburts-Fest heut erschienen;
So kann gewiß Dir prophecen,
Daß Dessen Gnade wird vollkommen
seyn.

Zum Zeugniß seiner Hochachtung schrieb dieses

Otto Eberhard Olse,
Pæd. Reg. Coll.

Sleiß bringt Gelehrsamkeit, und dieser folget
Ruhm;
Verbindet man damit ein ächtes Christen-
thum:
So crönet unser Werck des Allerhöchsten Segen;
Der müsse sich auf Sie, mein Freund, noch
ferner legen.

Anton Philipp Hoyer, Th.C.
Da

Du uns der Schüler-Stand auf den bestaub-
ten Bäncken,
Schon vor geraumer Zeit hieß gute Freunde
seyn:

So stimmte ich erfreut in deren Wünschen ein,
Die heute Dein Bemühen auf Reimen lässet den-
cken.

Zwar es kann nicht mein Kiel den ganzen Wunsch
beschreiben;

Die Freude aber sinnt auf lauter Wohlergehn,
Und glaubt, Du wirst forthin viel Segens-
Fluthen sehn:

Dis wünschet welcher wil Dein treuer Freund
verbleiben.

Joachim Leonhard Hermes,
S. Th. C. Opp.



Coll. diss 17

145,15